



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

42 Io. Chrysostomi persecutores vindicta divina fuerunt percussi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

veritunum de pusillis istis, qui in me cre-
du it, expedit ei, ut suspendatur mola asi-
naria in collo ejus, & demergatur in pro-
fundum maris, *Matth. cap. 18. Marc. cap. 9,*
Lus. c. 17. & Baron. ead. pag. 220.

40 Alii etiam persecutores † Joan. Chry-
sostomi vindicta divina fuerunt percussii:
Quorundam enim Episcoporum, & laico-
rum corpora morbus assumens variis cru-
ciatib⁹ agitabat, lenta febris intestina de-
pascens, pruritusque intolerabiles totam
superficiē unguibus levabat: Longi quo-
que intestini perpetui dolores, & cholici
passio, cujusdā pedes intercutanei morbi
i. litar, nimia inflatione turgescēbāt. Alii,
nimia humoris redundantia ad manus us-
que derivantis, eos, qui malē subscribere
digitos misto frigori incendio fuerunt ex-
cruciati. Alium aqualiculi tumor, & pu-
tredo ex secretiore parte corporis in lon-
gum se extendens, & vermes gignens a-
critex vexabant, respirandiq; difficultas,
omnium intensio membrorum, imagi-
neq; nocturnæ in canes rabiosos, & di-
strictis gladiis barbaros, & vocem hor-
rendam transeuntes infomne, somnum
que ducebant: Alius equo lapsus, dextro
fracto crure, continuo vitam cum morte
commutavit: Alius, amisā voce, octo
mensibus emarcuit in lecto, qui nec ma-
nus ad os apponere poterat: Alius vivens
crura sensum usq; ad genua per triennium
urebatur, chryseli moleste fatigatus:
Alius inflata lingua cum febre vehemen-
ti non valebat eam in præstitutum à na-
tura locum cōtinere, in pugillari scribens
confitebatur scelus suum, & sic videbatur
iram divinitus illatam, variis in auctores
mali sævire modis. *Baron. lib. annal. ec-
cles. tom. 5, An. 404, pag. 219, post med.*

41 Cyrinus verò Episcopus, † qui eun-
dem Joannem convitiis exagitaverat, at-
que eum contumacem sæpius vocaverat,
acerbè excruciat⁹, afflētusq; fuit, ut pes
ejus pu- resceret, & propterea necessitate
adductus, cum à corpore illum abscinde-
ret, lētionem non semel tantum, sed sæ-
pius passus est, quoniam mali contagio
per universum corpus irrepsit adeo, ut al-
ter per ea infectus similiter amputatus sit.
Baro. anno 404. ead. tom. 5, pag. 11. in princ.
Impium quoque Veremundi II. legionis
in Hispania Regis factum Deus vendica-
vit; nam quod ille in vincula conjecisset
Ouetensem Episcopum tamdiu cessavere
à cælo pluvix arente omnino terra, quā-
diu Episcopus detentus est: ast illo di-
miso, respicienteque Rege, rediere plu-
vix, terræque humor, quo miraculo per-
territus Veremundus, in se rediens, pec-
nitentiam ab Episcopis positam piè per-
egit. *Roder. Palent. par. 2, cap. 22. & Ma-
jol. de admir. nat. reb. colloq. 1. pag. 54.
in fin.*

42 Henricus VIII. † Angliæ Rex, qui in-
ter alia de religione Catholica decreta
contra Lutheranos edixerat.

Primò, in Eucharistia sub panis & vini
specie post consecrationem esse corpus,
& sanguinem Christi, nec amplius rema-
nere substantiam panis, & vini.

Secundò, communicare sub utraque spe-
cie, non esse omnib⁹ necesse ad salutem,
& sub alterutra esse totum Christum.

Tertiò, non licere nuptias sacerdotib⁹.

Quartò, vota castitatis esse præstanda.

Quintò, Missas privatas retinendas.

Et sextò, confessionem auricularē esse
ad salutē necessariam, ac iis, qui secus do-
cerent, uti hæreticis, supplicia gravissima

O

con-

constituerat, & deinde dicta decreta edito publico abolevit; & paulò post Missa in eodem regno fuit abrogata, ut post alios, quos citat, testatur Genebr. in Chron. lib. 4. §. *Henricus VIII. Rex, pag. 724.* is inquam, totus mutatus, ac à recta fide, & Apostolica via devians, Joannem tituli Sancti Vitalis presbyterum Cardinalem Roffen. qui hæresibus suis, & erroribus consentire noluit, horrenda immanitate, & detestanda sævitia, publicè miserabili supplicio tradi, & decollari mandavit, ac fecit; nec non alia quamplura, & non minora delicta contra quamplures Prælatos, & Episcopos, aliasque personas ecclesiasticas, etiam regulares, sibi, ut hæretico, & schismatico, adharere reculantes, in eorum personas crudelissima trucidatione patravit, & etiam in mortuos, & eos quidem, quos in Sanctorum numerum relato, universalis Ecclesia pluribus sæculis venerata est, feritatem exercere non expavit. Divi enim Thomæ Cantuarien. Archiepiscopi sacra ossa, quæ in dicto Regno Angliæ potissimum ob innumera ab omnipotenti Deo illic perpetrata miracula summa cum veneratione in arca aurea in civitate Cantuarien. servabantur, postquam ipsum divum Thomam ad majorem religionis contemptum in judicium vocari, & tanquam cõtumacem, damnari, ac proditorem, fecerat exhumari, ipsas sancti corporis reliquias comburi, ac cineres inventum spargi iussit, omnem planè cunctarum gentium crudelitatem superans: cum ne in bello quidem hostes victores sævire in mortuorum cadavera soliti sint, pro quibus, & aliis pluribus suis excessibus Anno Incarnationis Dominicæ 1538. kal. Januarii, per Paulum Papam III. excom-

municationis, & anathematis poena fuit innodatus, ut in Bull. Roman. c. 20. & Genebrar. in eod. lib. 4. *Chron. pag. 723, §. in odium.* Deus tamen omnipotens tanta scelera impunita non reliquit; nam Rex ipse miser perpetuis agitationibus, angustiis, & angoribus fuit acerrimè vexatus; quoniam dimissa Catharina Austriaca, legitima conjugè, flagrantibus admodum libidinis ardoribus, & flammis captus, Annam Bolenam, propriam filiam de adulterio ex Thomæ Boleni conjugè susceptam, ut scribit Hieronym. Polin. in *histor. eccles. lib. 1. cap. 7.* de facto in uxorem desponsavit, quam postea iusto Dei judicio de adulterio convictam publicè decollare fecit, ut eodem lib. 1. c. 38. matrimonium tertio pariter de facto cum Johanna Seimera contraxit, quæ vix annum secum vixit. Quæ mortuâ, Annam de Cleves, quartam desponsavit, ut eod. lib. cap. 45, & 46. quæ repudiata, ad quintas nuptias cum Catharina Hauarda transiit, quam etiam, uti adulteram, poena capitis multavit, & sexto cum Catharina Parra nuptias celebravit, ut eodem lib. cap. 47. & tandem ex viro forti, pulchræque staturæ, in tantam deformitatem corruit, ut ob crassitudinem, neque scalam palatii ascendere posset, & vix portas introire, inter quos animæ, corporis, honoris, & famæ gravissimos cruciatus pluribus annis misererrimam vitam sustinens, ante quinquagesimum quintum suæ ætatis annum, anno sal. 1546. infelicem animam exhalavit, ut per eum Hieronym. Polin. *dict. lib. 1. capitulo 51. relictis ex tot mulieribus Eduardo filio impubere, qui decimo sexto suæ ætatis anno decessit, ut per eundem Hieronym. Polin. ead. histor. lib. 2.*